



ANNUENTE BENEFICISSIMO NUMINE!

UTER POTIOR IN
BENEFICIO à PRINCIPE

DUOBUS CONCESSO,

SUB PRÆSIDIO

Amplissimi, Clarissimi & Consultissimi,

Dn. GUILHELMI CRUSII,
Jcti & in Alma Electorali Bran-
denburgica, quæ est Teutoburgi
Clivorum, Univerfitate
Antecessoris prim.

Publica eruditorum disquisitioni subjicit

ANDREAS ERNESTUS DE SCHLIEBEN,
Eques Boruf.

*In aroaterio Univerfittatis Majore, ad diem
Julii hor. 9. matutina.*



DVIBURGI ad RHENUM,

Typis JOHANNIS SAS, Academiae Typographi,
Anno M. DC. XCV.

23 T38
1695

ILLUSTRI, GENEROSISSIMO,
EMINENTI ET OMNIGENA RERUM
GERENDARUM PRUDENTIA
CONSUMATISSIMO ET EX-
CELLENTISSIMO
D O M I N O

D. EVERHARDO

à

DANCKELMAN.

SERENISSIMI ET POTEN-
TISSIMI ELECTORIS BRANDEN-
BURGICI, DOMINI NOSTRI CLEMENTISSI-
MI, MINISTRO STATUS ET IN NEGOTIIS
TAM CIVILIBUS QUAM MILITARIBUS, UT
ET FEUDALIBUS INTIMÆ ADMISSIONIS
CONSILIARIO SUMME SPECTABILI, CON-
SILIIQUE REGIMINIS, QUOD CLIVIÆ ET
MARCÆ DITIONIBUS PRÆEST, PRÆSI-
DI GRAVISSIMO: DOMINO HÆREDI-
TARIO IN BRESQUE, DUYKER

&c. &c. &c.

DOMINO ET PATRONO SUO, DEVOTO ANIMI
CULTU ÆTATEM VENERANDO

FELICITATEM PERENNEM!



Uorum de Principis beneficio præferen-
tiæ certamen ad Vestri culmen Judicii,
ILLUSTRIS DOMINE, submissè de-
fero, ut iusta ejus sententia dirimatur.
Ad cujus enim officii gloriam hoc potius
pertineat quam VESTRÆ EXCELLENTIÆ, quæ à
multis jam annis non arcanorum magis AUGUSTI
ELECTORIS, quam beneficiorum Interpres & Arbi-
ter existit. Regium est benefacere: secundæ post Re-
giam fortunæ, Magni in Republ. Rectoris beneficen-
tiam bonis conciliare, interpretari dissidentibus. Qua
in re nemo est nostrum, quin sublimem EXCELLEN-
TIÆ Væ virtutem mecum devotè suspiciat & admi-
retur, quæ tantæ Dignitatis fastigium honorificè meruit,
nunc incomparabili in Principem fide, in Remp. con-
sulendi ac regendi prudentia gloriosius exornat. Me
vero, ut qualescunque has pagellas solo tractationis suæ
argumento confisas, alias viles & exiguas, Amplissimo
Ipsius nomini facerem sacras, non alia ratio impulit, quàm
ut in illis sempiternæ meæ erga EXCELLENTIAM
VESTRAM venerationis extaret monumentum. Non
me

me spes destituit, fore, ut benignitatis fructum, quem
illæ adumbrant, serenæ admissionis gratiâ in se ipsis ex-
periantur. Est hoc in quo pristinæ propensionis affe-
ctum novi beneficii adjectione fieri auctiorem, non
aliàs magis fortunæ meæ gratulabor; Deum precatus O.
M. ut EXCELLENTIAM VESTRAM Patriæ &
ejus Patri in auxilium, bonis in solatium, incolumem
atque florentem omni felicitate & gloria diu multum-
que humanis rebus superesse patiatur!

ILLUSTRIS EXCELLENTIÆ
V E S T R Æ

Observantissimus & obsequentis-
simus cliens

ANDREAS ERNESTUS de SCHLIEBEN,
Eques Boruf.



I. N. D. N. J. C.

QUIS POTIOR HABEA-
TUR IN BENEFICIO, A PRIN-
CIPE DUOBUS CONCESSO.

P R O O E M I U M.

Dem velle & idem nolle, ea demum firma est amicitia, perhibente Salustio in Catil. Imo & fortioris inimicitia nonnunquam gravissima occasio. Duobus enim eandem rem appetentibus, quam uterque habere nequit, alter autem alteri potioris juris obtentu praripere satagit, non potest quin in lites incidant acerbas. Imprimis hoc advertere est in Principis beneficio, plurimum concurrentibus desideriis expetito, ubi rei valor operæ pretium facit, lucri pariter & honoris urgente instinctu. Hujus quoque ut cujusque alterius cause judicium ad juris peritos spectat, absque dispendio ejus doctrina, quæ de privilegiis Principis esse cognitionem, qui ea dedit, rectè determinat: Nam nec Principis omne beneficium privilegium est, nec id minus Princeps judicasse videbitur, quod suis dijudicandum Consiliariis committit. arg. l. unic. §. i. in fin. D. de offic. præfecti prætor. Tam frequens hujus materiæ usus, nec levior difficultas occurrit, ut frustra non me collocaturum operam confidam, quam illi enucleanda

A

*cleanda impendam. Hoc agam itaque: sed ad modum Aca-
demica Exercitationis, brevi argumento, nec temporis
usurâ longiore. Quod ut Deo auspice feliciter cedat, ani-
mitus voveo! sit itaque*

CONSIDERATIO GENERALIS,

Propositi thematis argumentum exhibens.

§. I.

HAud rarò contingit, & forte, ultra quam fas est, frequentius, quod beneficii alicui concessi postea alius quoque à Principe gratiam impetrat, cujus causam nunc importunis supplicantis precibus, nunc labili ipsius Principis memoriæ haud temerè imputaveris. Sæpe tamen & iniqua malevolorum obtrectatio, in posterioris Candidati gratiam, priorem Principali liberalitate velut indignum exuit; Qui si morum innocentiam postliminio fortè Imperanti approbat, & hoc & illis casibus quærendi occasio superest, utrius causa ad retinendum beneficium, quod in solidum utrique datum est, potior habeatur.

§. II.

Beneficii vocem lato sensu exaudire oportet pro qualibet Principis liberalitate, nullo jure cogente factâ. *l. 3. D. de Constitut. Princ.* ferè ut Juris feudalis compilatores Senecæ verbis definiunt: quod sit *benevola actio tribuens gaudium capientibus, capiensque tribuendo. 2. Feud. 23.* Strictius apud Juris Canonici scriptores usurpatur pro portione jurium seu reddituum Ecclesiasticorum Spirituali muneri conjunctâ. *c. ex multis. §. constituimus 1. qu. 3. Tholosan. Syntagm. Juris Lib. 17. c. 2. n. 2.* Nobis itaque hæc

hæc vox & feudum, & donationem Principis, & officium ab eo concessum, & ipsum quoque strictè sic dictum Ecclesiastici muneris beneficium complectetur. Ex quo enim Jurisdictio Episcopalis in terris Protestantium per pacificationem religiosam fuit suspensa, Ecclesiæ administratio architectonica ad Principis curam pertinere cœpit. Jam itaque & Præbendæ & cætera illius beneficia ab ejusdem collatione dependent. Quo & stipendia pertinent ex publico studiis dicata & Academiæ Scholarumque dotes. Sunt hæc quatuor præcipuæ Principalis beneficii species, quas pro ratione nostri instituti inferiori distincto ordine tractabo, quia non eandem in omnibus juris nostri dispositionem obtinere puto. In eo non discernemus, utrum Princeps vacuum duobus beneficium concesserit, an in casum, quo vacare contingat, uni prius, mox & alteri promiserit conferendum; Quod posterius *Expectativa* nomine vulgo venit.

§. III.

Principem utrum intelligam qui jura Majestatis sustinet & superiorem non habet, an illos quoque qui suis quisque territoriis in Imperio nostro præsumunt, non leviter referre dixeris. Illius enim concessio vim legis obtinet; Horum non item. Verùm re probè consideratâ respectu subditorum nil refert. In suis enim ditionibus Imperii Germani Principes idem posse, quod Imperator potest in imperio, dudum usu inolevit. Extra territorium verò haud secus quam extra Imperium jus condenti de rebus ibi sitis vix quisquam non impunè parebit. *l. ult. D. de jurisd.* Par itaque utrorumque indoles & in conferendis beneficiis obtinebit. Klock. *vol. 2. Conf. 4. n. 223.* Brunnem. *ad leg. 3. n. 3. D. de Constit. Princ.*

§. IV.

Beneficii promissionem non minus quàm collationem intelligo quæ fit duobus in solidum, eoque separatim & diverso tempore, hodie uni cras alteri, *l. 15. princ. C. de rei vindicat.* Quod enim simul ipsis donatur, cuique eorum obvenit pro dimidiâ, ad quod non concertatione sed divisione opus est. Habet tamen Principis liberalitas hoc sibi singulare, quod etiam inter vivos exercita jure accrescendi gaudet, ita ut altero deficiente vel absque herede mortuo ejus portio ipsius Consorti accedat. *l. unic. C. si liberalit. imperial. soc.* Cujus specialitatis rationem non immerito in tacitâ Principis voluntate reponas, ut cujus donare proprium & regale munus est, is tum maxime intendisse liberalitatem suam censeatur, cùm eam nec tempore finiri nec ullatenus ad se reverti modis omnibus voluit. vid. Carpz. *p. 2. Decis. 134. n. 19.*

CONSIDERATIO SPECIALIS,

Ad singulas Beneficii species progrediens.

PUNCTUM I.

Uter potior in Feudo.

§. I.

CONSTANS Interpretum juris Feudalis conclusio est, eaque veritati congrua: si res in solidum duobus diverso tempore in feudum fuerit promissa, eum præferri, cui prius tradita; si neutri adhuc traditio est facta, eum qui prior promissionem obtinuit potiori jure esse ad ipsam quoque rem obtinendam: *arg. l. 15. C. de rei vindicat.* Alteri tamen superesse actionem ad id consequendum quod

quod ejus interest, rem sibi traditam non esse. 2. F. 7. §. 1. Idq; e evidens ratio suadet. Per traditionem enim Vassallus utile in re dominium consequitur; Promissio duntaxat personam obligat ad tradendum. l. 20. C. de pactis. Plus autem firmitatis in re est quam in personâ. l. 25. D. de regul. jur. & ibi Gothofr. lit. G. Imo ille, cui res tradita est, eam tenet; alteri autem ex promissione nulla ea actio suppetit, quâ rem à tertio possidente evincere possit. l. 27. C. de rei vindicat. Et quamvis possessionem postea alicunde ipsi obvenisse ponas, vel ipsâ pristini domini traditione, hæc tamen dominium ipsi conferre non potuit, tum quod Dominus utile illud in ista re non amplius habebat, tum quod res ab illius, cui prius tradita, dominio non erat libera. Duo namque ejusdem rei in solidum domini esse nequeunt. Idem obtinet; quicquid Sichardo ad dict. l. 15. & aliis contra videatur, si quis prior de feudo abusive investitus fuerit, alter autem prius realem traditionem obtinuerit. Hartm. Pistor p. 2. qu. 29. n. 23. & seq. Schrader de Feud. p. 5. c. 2. n. 19. Investitura enim quam vocant abusiva nullam nec veram nec fictam traditionem continet, sed solum actionem parit ex contractu personalem. Id quod pro symbolo porrigitur solennitatis causa est, ad futuram rei feudalis acquisitionem representandam. 2. F. 2. pr.

§. II.

Limitationem verò huic regulæ afferunt ex personâ Principis: Ejus primam concessionem semper secundæ prævalere, quia ex sola Principis promissione statim ante traditionem dominium transeat in promissarium. Quod tamen plerique restringunt ad casum, quando Princeps feudum ex mera gratia supplicanti concessit. arg. c. si tibi absenti. De præbend. in 6to. secus si intercedente contra-

Atu, ut ordinariè feuda conferri solent: quia Princeps contrahendo uti videtur jure communi & se ad illius dispositionem conformare, nisi eum aliud voluisse manifestè appareat. Hartm. Pistor *part. 2. quest. 29. n. 25. & seq. & ab eo alleg.*

§. III.

Illa tamen limitatio de concessione etiam gratuitâ subductâ rem ratione pensitanti non immeritò suspecta videbitur. Primò enim id nullibi in jure traditur, Principali Promissioni, quæ mera gratiâ nititur, eam vim inesse, quâ dominium citra traditionem transferat. *Cap. si Tibi absenti*: hanc in rem allegatum ad præbendas pertinet ecclesiasticas, quarum Dominio prorsus expertium dispar ratio existit; ut plenius infra evolvam. Equidem non ambigitur, posse Principem, si eâ mente sit, solâ voluntate efficere, ut dominium transeat absque traditione, uti ex lege constat *ult. C. de SStis Ecclesiis*. Nam Lex id potest, quidni & Princeps, cujus voluntas pro lege est? §. 6. *I. de jure nat. gent. & civil.* Unde & juri communi ea in re, dum aliter vult, derogat. *arg. §. ult. I. dict. tit.* Verùm Principem hoc præsumi velle in liberalibus negotiis, etsi non exprimat, est quod meritò abnuo: Nec illius hac in parte discriminis, inter largitiones & contractus Principis, justa aliqua ratio afferri potest. Etsi enim causâ utique differunt, modo tamen transferendi conveniunt; quem suctum & communem cur Princeps contra juris regulas mutare voluerit, nihil urget. Quin potius ejus voluntas ordinario juri consona esse præsumitur *l. 43. D. de vulg. & pupill. substit. l. 35. C. de inofficios. testam. l. 1. C. de petit. heredit.* Menochi. *de præsumpt. lib. 2. præf. 9. & 10.* Pistor *dict. qu. 29. n. 22.* Nec obstat, quod juxta *l. 3. C. de constit. Princip.* Principum

pum beneficia quam plenissime sunt interpretanda. Hoc enim respectu objecti est accipiendum de commodo quod ejus ambitu rectè contineri potest: Non ideo modum transferendi miraculo quasi conversum arbitrabimur. Præterea quomodo feudum absque contractu ad re-promittendam Domino fidem constitui possit, ego necdum video. Malim itaque statuere Principis promissionem hæc in parte jure singulari non uti, sed indifferenter eum in feudo esse potio-rem, qui prior ejus possessionem legitime obtinuit, quantumvis id alteri non tantum promissum sed & per investituram collatum fuerit. Cui sententiæ merito favet Mathæ. de Afflictis c. 1. §. fin. n. 7. & 8. de nov. form. fidel. fac. Rohsenth. Synops. Feudal. c. 6. concl. 10. n. 7. Fachinæ. Controv. Jur. Lib. 7. c. 33. circ. fin. Schrad. de Feud. p. 5. c. 2. n. 19. Idem specialiter & in casu Expectativa obinet, quam Princeps in alterius adhuc viventis feudum pluribus forte concessit; quantumvis investitura accessit. Conditione enim existente præfertur, qui prior possessionem sine vitio adeptus est. Secus in pari causa merito melior est conditio promissionis antiquioris. arg. l. 9. §. 4. D. de publician. in rem action. & sæpe cit. l. quoties 15. C. de rei vindic. Carpz. Ipr. p. 2. C. 45. def. 4. Struv. Synt. Feud. c. 7. aph. 7. n. 1.

§. IV.

Id tamen ex antecedentibus ultro liquet, quando Princeps ita disponit ut dominium statim non expectatâ traditione acquiratur, eum qui feudum hoc modo obtinuit, ex gratia an ex contractu nil refert, potio-rem esse illo, qui postea corpore licet in possessionem inductus est. Dominium enim prior iste jam obtinuit. Nihil itaque traditio pro posteriore efficere potuit. Hartm. Pistor. ante citat. qu. 29. n. 26. ubi proinde hanc cautelam commendat

mendat iis qui ejusmodi investituram impetrant, ut semper investituris inseri curent tales clausulas, ex quibus colligatur principem ipsis dominium sine traditione concedere voluisse. Hac enim ratione tuti esse poterunt, ne postea alius similem investituram impetrando & possessionem præoccupando, jus ipsorum intervertat. Eandem esse vim puto illius formæ, quâ Princeps præsentem investituram naturam habere jubet veræ & corporalis possessionis, aut quando investit cum clausulâ: non obstante ullius postea impetrantis possessione. De quibus & geminis Rosenth. *cit. conclus. 10. in notis lit. f.* & Schrad. *p. 5. c. 2. n. 19.* Hoc non capio, quod plurimi censent: si Dominus, quisquis sit, qui feudi expectativam concessit, paratus sit præstare id quod interest, pecuniam puta æquivalentem aut aliud paris æstimationis feudum, licere ipsi posteriori expectativam concedere cum clausula præferentiæ *arg. 2. F. 8. pr. in fin.* Enimvero ut in aliis obligationibus dandi est comparatum §. 2. *I. de donat. l. 35. §. ult. C. de donat. l. 6. C. de rescind. vendit. l. 50. C. de act. empt.* ita & ex hac Dominus ad rem tradendam præcise est obligatus, nec bona fides patitur, ut aliud pro alio invito creditori solvatur *l. 2. §. 1. D. de reb. credit.* Quod multò magis obtinet, quando abusiva investitura intervenit. *2. F. 26. §. si facta 7. Schrad. alleg. c. 2. n. 17.* Nisi Princeps ob utilitatem publicam, cujus ratio omnia superat, potestate adjectæ talis clausulæ posteriorem priori præferret. Extra hunc casum nec Principis exuberantior fides jus quæsitum priori suum auferri patietur.

§. V.

Quod de expectativa modo definiti, in Incerta quoque locum habet, Germanis *Ein irlehn* / quam si plures à Principe impetrarunt, is qui tempore præcedit aut posses-

possessione prævenit, idem & jure præfertur. *arg. memorat, l. quoties 15.* si autem uni certum & definitum feudum fuerit promissum, alteri generaliter & indefinitè feudum quod primum vacare contigerit; certo isto feudo deinde aperto, is præfertur cui id nominatim est concessum, licet generalis promissio alteri facta tempore præcellat. *arg. c. 14. & c. 38. de præbend. in 6t.* ubi ita circa præbendas Ecclesiasticas Papa constituit. Conspirat Jus Feudale Saxon. *cap. 7.* Cujus decisi ratio est in *leg. 80. D. de reg. jur.* In toto jure nostro generi per speciem derogatur. *Pistor. dict. qu. 29. n. 7. Struv. Synt. Feudal. c. 7. aph. 7. n. 2. Carpz. Ipr. 2. C. 45. def. 4. Vultej. de Feud. lib. 1. c. 10. n. 11.* Hæc de feudo: Si quid ejus tractationi deesse videri queat; hoc mecum licet transferam ad

P U N C T U M II.

Uter potior in Donatione.

§. I.

CONCURSUM duorum in re donata ex generali juris regula definit diserta *Lex 15. C. de rei vindic. verb. final.* Etsi ex causa donationis utriusque dominium rei vindicent, eum cui priori possessio soli tradita est, haberi potiozem. Autores verò illi, qui in negotio feudali Principis promissioni eam inesse vim aut potius præsumptam voluntatem arbitrantur, *arg. c. si tibi absenti De præbend. in 6t.* ut dominium statim transferat, illud tanto magis de mera ipsius donatione receperunt. Præter hos plerique alii, qui in feudis non admittunt, tamen circa donationem calculum suum adjiciunt, moti autoritate juris canonici *in c. Tibi qui 12. & c. duobus 14. de Rescriptis in 6t.* Non tamen & alia argumenta ipsis desunt, quibus hanc

B

senten-

sententiam fulciant. Imprimis Gail. 2. *Obs. 55. urget.* (1.) quod princeps importunis precibus circumventus posteriorem donationem fecisse videatur, aut quia prioris eum oblivio ceperat. Hinc posteriorem promissionem prorsus esse nullam, ex qua dominium ob tituli defectum non transierit. (2.) Principi convenire fidem & voluntatem undequaue constantem, cujus inde promissione neminem circumveniri oporteat; sed rem immutabiliter illi relinqui cui semel est data. *l. ult. C. de locat. præd. civil. Lib. 11.* Huc (3.) adminiculatur, quod, si aliud dicamus, Princeps quodammodo crimen stellionatus committere videretur, duobus eandem rem largiendo. *arg. l. 3. §. 1. D. de stellionat.* Ita sane eum, qui duos de eodem feudo investit, in hoc crimen incidere tradit Schrader. *de Feudis p. 5. c. 2. n. 23.* Meo iudicio hæc tanti non sunt, ob quæ circa Principis donationem à juris communis regula quis recedere debeat. Id quod fundamenti loco ponitur de Dominio sola Principis promissione translato, veri specie supra nudavimus. Argumentum *cap. si Tibi absentis &c.* beneficiis ecclesiasticis singulare ad præsens negotium nihil facit. In illis enim titulus institutionis tribuit jus beneficii, quod in profanis secus est, sed accedat oportet traditio. *Fachinæ. & ibid. alleg. cit. c. 33.* Dispositionem *cap. 12. & c. 14. De Rescript. in 6t.* evolventi inferius convenientior locus erit. Gailii ratio I. non stringit. Esto quod Princeps importunitate petentis, aut propriæ memoriæ imbecillitate circumventus posteriorem donationem fecerit; per hoc non impeditur translatio domini *l. 36. D. de acquir. rem domin.* quæ ex rei traditione animo transferendi facta suapte naturâ sequitur, huncque habet effectum, ut accipiens rem suam potius habeat, quàm qui dominus ejus non est. Hoc sanè incongruum

congruum est opinari: Quicquid Princeps alterius importunitate motus, aut propria oblivione ductus constituit, effecit, ipso jure nullum & tantidem habendum, ac si constitutum effectumque non esset. Præterea vix est, ut quis in illo oblivionis prætextu acquiescat; cum æque justa quædam & probabilis causa Principem ad posteriorem donationem faciendam commovere potuerit. Et hoc quoque potius de eo esse ominandum, qui tot prudentissimorum virorum consilio juvatur, res & ratio suadent. Idem quod Gailius desumit à fide & constantiâ Principis, si quid ad rem nostram facit, plus infert, quàm debet: nempe idem in Principis contractibus esse recipiendum, quod de Donatione placet. Quo gravior enim illorum causa est, eo magis bona fides postulat ut servantur; quod tamen ipse Gail. n. 7. repudiat. Non hic quæstio est, an Princeps recte faciat rem utrique donando, sed cum fecerit, uter in re donatâ sit potior: an ille cujus res effecta est propria, an cui solùm debetur; Cujus utique quæsti decisio ex rei natura & traditione dependet, non tradentis fidei qualitate. Non ideo minus alteri quoque satisfaciendum est, præstando id quod interest. 2. F. 7. §. 1. Rem verò ipsam cum uterque habere non possit, id opus est inquiratur, utri potius ea, utri interesse sit adjudicandum. III. Argumentum à stellationatu in negotio oneroso magis stringit quàm in lucroso: certe in utroque æqualiter, & non minus urget si priori, quàm si posteriori donatario rem addicas. Stellationatu enim magis illum lædi, cui res alteri oppignorata venditur, quàm cui primum obligata est, jus & ratio edocet: Justa autem causa, quæ Principem ad posteriorem donationem impulisse præsumitur, crimen stellationatus excludit, & in sanctum caput Principis non cadit doli aut

turpis lucri suspicio, sine quibus stellionatus crimen non committitur: ut rectè Bachov. *ad Treutler. Tit. de Donat. Diss. 19. thes. 8. lit. A. Lex 5. C. de locat. præd. civil.* illos tuetur, quibus jus perpetuarium simul ac possessio prædiorum collata erat, sive à Comite Sacr. ærarii sive ab ipso Imperatore. Unde sententiæ adversæ adeo non patrocinetur, ut nostram potius confirmet. Manet itaque, ut & hîc, infirmâ limitatione sepositâ, concludam, in Principis donatione non minùs quam cujusque alterius, decisioni legis *quoties 15.* locum esse, eumque præferri cui res priori est tradita.

§. II.

Illud dubii nihil habet, quod si Princeps Ecclesiæ donavit, ipsa posteriori donatario, licet in possessione rei constituto præferatur. Verum hoc non ex donantis qualitate provenit, sed privilegio Donataria. Habet enim hoc Ecclesia ut ex Contractu Dominium statim in eam transeat ante traditionem *l. 23. §. 1. C. de Stis Eccles. Covarr. Resol. lib. 2. c. 19. n. 2.* Unde fit quod traditio donatario posteriori rei *Dominium* conferre non possit, quod prior Ecclesia juris beneficio jam obtinuit. Idem in Academicis, Scholis, pauperibus aliisque qui jure Ecclesiæ fruuntur locum invenit. Civitates quoque annumerant. *Sichard. ad dict. l. quoties &c. n. 5. & Brunnem. similiter ibid. n. 4.* Non verò de eodem favore sibi blandiantur personæ Ecclesiasticæ. *Hartm. Pistor. ante cit. quest. 29. n. 27.* Porro dispositio Memoratae legis *15.* etiam exulat in casu, quando posterior sciens rem jam alii à Principe donatam, tamen eandem invidiosis precibus sibi impetravit. Quamvis enim traditio accesserit, prior tamen præferetur & actione revocatoriâ rem ab altero repetet, ne cui mala fides & improbitas sua patrocinetur. Ita tenet

net Glossa & Sichard. *ad dict. l. 15. Brunnem. ibid. n. 6.*
Mev. p. 6. decis. 153. n. 3. & alii quos allegat Pistor. cit.
quest. 29. n. 28.

PUNCTUM III.

Uter potior in officio.

§. I.

Officii Nomine hic designo Munus in Rep. ad curanda ejus negotia alicui injunctum. Insignis sanè in Principe Rectricis prudentiæ argumentum est, Reip. officia non prius conferre, quam morte aut resignatione vacant. Ita publica fert utilitas & consentiens bonorum omnium existimatio, quibus honores expectare quam rapere magis decorum videtur. Quisquis hominum mores nimis quàm mutabiles, fortemque volubilem, ipsum quoque Reip. statum mutationi obnoxium, officiorumque imprimis in ea conditionem variam semper atque versatilem attentâ secum mente pensitaverit, næ is sexcenta expectativarum, quas vocant, incommoda, an potiùs discrimina levi cura advertet. Unde factum ut utriusque juris suffragio damnata inveniatur præcox futuræ successionis sollicitudo, quæ in hominis adhuc vivijus & beneficium prætendit. Faber. *in Cod. lib. 1. Tit. 12. def. 7.* Qui enim fieri potest, ut ejus quis mortem animo non captet, cujus quotidie vitæ subsidia oculis devorat? Denique quo quis immodestior eo honoratior evadet. Nec defuturos crede qui Reip. damno officium ante ejus gerendi habilitatem sibi acquirant.

§. II.

Potest tamen Principi quandoque consultum videri, officium alicui concedere brevi vacaturum, seu certum

B 3

seu

seu indefinite quod ex certo functionis genere primum
 aperiri contigerit. Quin & vacuum, teste experienciâ,
 nonnunquam duobus successivè conferri videas; Uter
 tali casu jure præferetur? Primo haud ineptè quis statuât,
 merè à Principis arbitrio pendere, utrum præferre velit.
 Si enim juxta sententiam multorum præstantium Jcto-
 rum Princeps officium ex gratia concessum ad nutum
 revocare potest, Menoch. *de arbitr. judic. question. 55.*
n. 4. & quos plures allegat Sande *Decis. Frisic. Lib. 5. Tit.*
10. def. 1. non videtur ex ejus promissione quam fecit
 conferendi beneficii, quin nec ex collatione ipsa, im-
 petranti aliquod jus acquiri, cujus vi alium depellat, se-
 que eo potiore censeat. Nam quod pro lubitu quan-
 docunque vis repetitur, etiam promissum initio pro lu-
 bitu non præstatur. Verùm quo minùs huc calculum ap-
 ponam meum facit verior juxta ac communior aliorum
 sententia: quod officialis recte Constitutus à Principe
 nisi ex justâ causa removeri non possit. *nov. 10. §. 1.* Boër.
decis. 149. n. 10. & seq. Brunnem. *ad leg. 3. C. de offic. præ-*
fect. prator. orient. & Consil. 56. n. 3. & 4. Christinæ.
Vol. 2. Decis. 80. n. 2. & seq. *Attributio enim munerum*
& honorum in Rep. justitiæ distributiæ subjacet. l. 4. C.
de statuis & imaginib. ex qua Imperanti nihil placere
 potest, nisi & honestum sit. Hunc quasi contractum
 Civilis Majestas cum civibus suis iniisse censetur quo qui-
 vis eorum pro sua conditione Reip. & onera ferat & de
 commodis participet. Dubio id prorsus vacat, quando
 Princeps suis subditis de eo benigne fidem dedit, quod
 neminem, nisi ex causa legibus cognita, officio exuere
 velit, ut fecit immortalis gloriæ genius Divi FRIDRICI
 WILHELMI Electoris Brandenburgici in *recess. provincial.*
Clivensi de anno 1660. §. als auch wegen 2c. Præterea non
 cum

eum Principe impræsens mihi res est & quid suo ille arbitrio possit, sed cum iudice, quid casu eveniente iure debeat. Ex his quæ modo dixi alteram sententiam alius eliciat; nempe quod *Dignior* sit præferendus. Honoris enim debiti fundamentum virtus est. Et Respub. illius maxime opem efflagitare videtur, qui ad sublevandam eam plurimum valet. *arg. §. fin. in proæm. Inst.* Ita profectò est, & in hanc sacram anchoram figendi sunt oculi, cum re integra ex duobus pluribusque aliquis ad officium eligitur. Verum quando jam uterque à Principe officii gratiam reportavit, Judici nec de unius nec alterius dignitate ambigere licet, quos ambos superior elegit. *l. 5. C. de divers. rescrip. l. 3. C. de Crimine Sacrileg. Barbof. locuplet. lib. 5. c. 29. axio. 25. & ibid. alleg.* Aliud si dicamus, quod, semel licet approbatione facta, nihilominus ad dignitatis comparisonem rectè Principis regrediatur arbitrium, nullus erit officialium tam benè recteque constitutus cui non pari iure hoc periculi immineat, ne à digniore alio detrudatur.

§. III.

Alia itaque via ad hujus quæstionis definitionem per- tendamus oportet. Quam in rem hos tres casus distin- cte propono. Primo si duobus diverso tempore idem officium fuerit concessum jam vacuum ut & hic & ille in- trare oppido potuerint, prior concessio merito præfer- tur, etiamsi posteriori quædam quasi possessio aut fun- ctionis exercitium accesserit. Pro juris remedio hîc ser- vire potest Imploratio officii iudicis, *C. fin. x. de iudic.* aut utilis confessoria. *Boer. Decis. 151. n. 1. & seq.* Ut ita censeam, argumento moveor beneficiorum ecclesiasti- corum, in quibus quasipossessio non efficit, quin is qui prior titulum acquisivit, præponatur. *c. Tibi qui. & cap. duobus*

duobus de Rescript. in 6t. Eadem namque ratio subest, nimirum hæc: quod in officiis, similiter ut in beneficiis, nulla corporalis traditio ac possessio dominium eorum transfert. Quippe publici officii dominium nullum est. Nec itaque is, cui confertur, quicquam in eo suum consequitur, nedum ad heredes transmittit: (sicut is qui feudum aut donatum accepit,) sed nomine Principis aut Reip. ad dies vitæ fungitur. Cessat itaque hic causa *legis 15. C. de rei vind.* Ob quam prior titulus à posteriore dominio superatur, cesset ergo & effectus. Accedit quod publica officia beneficiorum Ecclesiæ Sanctitatem æmulantur. Ita nec pretio emi, nec in bonis censi citra sacrilegii notam possunt. *nov. 8. in pras. §. 1. & c. 1.* Si juris nostri habitudinem intueamur, advertere licet: circa ea quidem jura quibus traditio vim & perfectionem suam affert, inter quæ præcipue domini eminet virtus, ex pari causa potiore reputari, qui prior possessionem obtinuit. In aliis, quibus robur & completio sua magis ex titulo obvenit, secus est, & priorem videmus haberi potiore. Exemplo sit pignus cujus omnis nervus in securitate est. Hanc hypotheca æque præbet ac pignus speciatim ita dictum. Illud itaque ex his duobus præfertur quod est antiquius. Similis ratio nuptiarum est. Has consensus facit. *l. 30. de regul. jur.* Sequitur ergo ut qui prior jus mariti obtinuit, in matrimonio potior habeatur, etiamsi alter mulieris corpus quasi possideat, eamque carnaliter cognoverit. *c. 1. & c. fin. x. de sponsal. duor. Carpz. Ipr. Consist. lib. 2. def. 63. & 65.* In locatione etiam prior titulus spectatur. Pone mihi hodie locari domum, sine tamen traditione, cras vero locari alteri cum traditione, certe hic traditio nihil operabitur, quo minus ego, qui prior fui, consequi debeam istam domum.

domum. Traditio enim hic non domini causa fit sed ad usum. Jason. *ad l. quoties: n. 32.* Sichard. *in eand. n. 9.* Struv. *Tit. locat. th. 20.* In operis quoque duobus separatim locatis, convenit priori conductori antea satisfieri. *l. 26. d. locat.* Hæc si ad formam publici officii appendamus, consistit ea in vinculo illo morali, quo quis Reip. operam suam ad curanda ejus negotia adstrinxit. Nihil itaque hic quasi traditio potest; sed omnia collatæ functionis jus efficit. *arg. cit. l. 26. D. locat.*

§. IV.

Secundo, si officii nondum vacantis duo pluresque expectativam à Principe impetrarunt, tempore priorem in pari causa potiore esse convenit. *arg. dict. l. quoties & l. 9. §. 4. D. de public.* Nisi Princeps promissum officium postea existente conditione evacuatum Posteriori insuper reapse contulerit. Hac enim constitutione demum jus & titulus officii supervenit; ad exemplum sponsalium de præsentibus, quæ posteriora sponsalibus de futuro prioribus præferuntur. *c. 22. de sponsalib.* similiter ut si quis uni vendere promiserit, deinde vero vendat alteri, hic emptor potior habetur. Jason. *in leg. quoties n. 34.* Brunnem. & *alleg. ad l. 26. D. locat. n. 2.* Aliud enim est promissio vendendi, aliud ipsa venditio. Ita quoque cum feudum duntaxat est promissum, postea vero alius abusivè de eo investitus; hic posterior ad feudum obtinendum potior habetur. Schrader. *de Feud. p. 5. c. 2. n. 21.* Quin ipse Princeps, dum huic potius quam alteri officium contulit, prioritatis sententiam pro eo tulisse censetur. Quod tamen & ipsum ulterius limitandum: videlicet quando data à Principe Expectativa ea forma concepta deprehenditur, ut ejus virtute, eveniente evacuationis casu, quis officium absque intercedente alia constitutione statim

C

acquirat

acquirat. Meritò enim juxta ea quæ præcedenti §. dixi prior hic præfertur.

§. V.

Quid verò si prior expectativa concepta in casum, quo officium morte possessoris vacaturum sit; posterior autem indefinita & generali forma: *quando vacaverit?* Priorem beneficiarium indifferenter præferendum etiam cum officium per renunciationem aut remotionem aperiri contingat, nullus dubito, ex præsumpta concedentis voluntate, qua sub communiore evacuationis modo cæteros eventu rariores comprehendisse videtur, quoniam Principis beneficia quam plenissimè interpretari jubemur. *l. 3. D. de constitut. Princip.* Quam sententiam confirmant ea, quæ ex Dom. Garcia Masrill. *de Magistrat. lib. 1. c. 26. & lib. 6. c. 1.* adducit & præjudicio corroborat *Christinæ. Decis. Cur. Belg. vol. 5. T. 7. Decis. 112. n. 21. & 22.*

§. VI.

Hoc denique ex iis, quæ supra de feudo indicavi, simili rationis fundamento etiam circa officium dispalescit, quod promissio specialis certi & nominati officii præcellat generali, quantumvis antiquiori, de officio quod in aliquo functionum genere primum apertum fuerit. *arg. c. 14. & 38. de præb. in 6.*

PUNCTUM IV.

Uter potior in beneficio Ecclesiastico.

§. I.

Beneficii Ecclesiastici significatio juxta latitudine non solum officia, Dignitates & administrationes ecclesiasticas, sed & præbendas complectitur. *Felin. super decret. Tit. de rescript. c. postulasti 27. n. 4.* Imprimis etiam
primas

primas preces Romano Imperatori in Germaniæ Ecclesiis competentes: vulgo Panis brieffe. De quibus, quave autoritate Imperatoria Majestas hoc jus exerceat, videsis Wehner. *in observat. pract.* Besold. *in Thesauro pract.* & Speidel. *in specul. jur. voc.* Panis brieffe / layenpfründe. Tobi. Pauermeister. *de jurisdic. lib. 1. c. 4. n. 41. & seq.* ubi & Augustæ tribuit. *arg. l. 31. D. de legib.* De quo merito dubites, quia communicatio privilegiorum Augustæ à Principe facta tantum passivè valet, ut illa legibus soluta evadat, non etiam ut activè exercitium consequatur regalis potestatis. In his omnibus prioritatis negotium æquabili viâ una regula conficit: simpliciter enim qui concessione prior, jure potior habetur: quantumvis alter prius quasi traditionem, quam vulgo *institutionem* canones vocant, obtinuerit. Quam in rem diserta est Pontificis constitutio *in cap. Tibi qui 12. & c. duobus 14. de rescriptis in 6to.* Hæcque evidens ratio suppetit: quod in beneficiis Ecclesiasticis titulus Institutionis tribuit jus beneficii, necdum accedente quasi traditione, ut declarat Dynus *in Regul. beneficium n. 11. & 12. & in reg. qui prior. de regul. jur. lib. 6to.* Jason. *in legem quoties 15. C. de rei vindicat. n. 12.* Gail. 2. *observ. 55. n. 9.* Fachinæ. *Controvers. jur. lib. 7. c. 33. circ. fin.* Unde hoc idem juris esse constat; sive Papa sive Princeps, isque vel summus vel subordinatus, Ecclesiasticus aut secularis beneficium contulerit. Nec in Principibus Reformatæ religionis diversum obtinere autumo, quibus nunc etiam per constitutionem Pacis religiosæ & subsecutam pacificationem Osnabrüggens. beneficia & officia in Ecclesia elargiendi gloria simul & amplissima materies obvenit. Nam etsi hi Pontificiis Sanctionibus minimè alligantur, negotii tamen interna indoles modò

expōita hac in parte eandem juris dispositionem flagitat, nec potest similis causa non similem producere effectum. Quin usu obtinuit, in materia bonorum & reddituum ecclesiasticorum juris canonici observantiam legi civili præferri.

§. II.

Extenditur illa regula, quod sibi locum vindicet tam in gratiâ expectativâ beneficii proximo vacaturi, quàm in largitione jam vacantis, utroque casu duobus aut pluribus à Principe concessi. *dict. cap. Tibi qui. ibi: qui de præbenda tibi (si qua in ecclesia tunc vacabat, alioquin de vacaturâ proximè) provideret.* Etsi enim jus Canonicum intuitu captationis alienæ mortis beneficium alicui conferre, antequam vacat, prohibet. *c. 2. 3. & fin. x de concession. præbend. & novissimè Concilium Tridentinum concessionem expectativarum omnino sustulit. Session. 24. de reformat. c. 19.* id tamen accipiendum est de concessione beneficii certi hominis, quod spem improbam futuræ successione inducit. *arg. l. fin. C. de pact. si vero beneficium promittatur, quod primum vacare contigerit, inibi illa ratio turpis voti cessat. Gail. 2. Obs. 155. n. 6. Hahn. de jure rerum conclus. 72. & 73.* Imo & certi beneficii promissionem contra jus Canonicum hodierni mores & observantia toto die frequentata, maximè apud Principes seculares, invexerunt, teste Brunneman. *Consil. 152. n. 17.* Quanquam & in Pontificis aula, si Carpzovio credimus *Jurisprud. Consistorial. lib. 1. def. 16. & Duaren. de benefic. lib. 5. c. 8. & lib. 6. c. 1.* non est novum, sed potius curiæ Romanæ stylus quotidianus, ut duodecim quandoque diplomata seu bullæ, quas gratias expectativas appellitant, nomine unius beneficii nondum vacantis concedantur. Ex quo ulterius infertur, ductu
rationis

rationis antea allatæ, quod etiam is qui solùm expectativam habuit certi beneficii, præferatur illi, qui apertum à Principe perfectè obtinuit, simulque in ejus qualipossessionem venit. *Cit. c. Tibi qui. De rescript. in ot.*

§. III.

Quid autem si Cæsar vel alius Princeps hodie unum nominet coram capitularibus, cras vero alteri expediri curet solennes receptionis suæ literas? Adhuc priorem dicimus præferendum; quia scriptura non est de essentiâ gratiæ, nec principalis sanctio scripti indiget. *l. 34. vers. exceptis C. de donationib. junctâ clement. dudum vers. nos etenim. de sepultur.* Non obstat, quod ad consequendas dignitates & officia insinuatio authentici principis rescripti exigitur in *l. 3. & 6. C. de divers. rescript.* Probationis enim causa id requiritur, non ad negotii perfectionem. Quando itaque de anteriore Principis donatione aliunde constat, literarum præpostera conceptio fraudi non erit.

§. IV.

Hoc addimus: cum beneficium vel officium alicui in ecclesia delatum est, etiam si prius, quàm ille id acceptet, à Principe confertur alteri, prior tamen ad id obtinendum habendus est potior. Licet enim per collationem ejusmodi, donec eam ratam habuerit, jus in beneficio, ut suum dici possit, non acquirat. *arg. l. 55. D. de oblig. & actionib.* ipse tamen Princeps vel Episcopus de beneficio illo in alterius favorem denuo non rectè disponit; quod si fecit, ordinatio non subsistit. *Disert. c. 17. de præbend. in ot.*

§. V.

Eam tamen declarationem superior nostra regula recipit: quod collatio specialis certi cujusdam beneficii,

etiamsi posterior, prævaleat generali & indefinitæ. c. 14.
 & c. 38. de præbend. in 6to. Cardinal. Tusch. conclus. 597.
 n. 3. & 4. & conclus. 606. n. 5. Lit. E. Brunneman. consil.
 152. n. 2. & seq. Cujus hæc videtur esse ratio: quod Ex-
 pectativa generalis ob indefinitam objecti conditionem
 rem ipsam non afficit, nedum aliquod jus in rem expe-
 ctanti tribuit. Quod secus est in concessione speciali,
 ad certum beneficium determinata. Deinde hanc quo-
 que exceptionem regulæ apponunt: quando Princeps
 posteriori donationi Clausulam *præferentiæ* adjecit, vi
 hujus eam alteri tempore anteriori præferri. Brunnem-
 cit. consil. 152. n. 5. Quod ego aliter non admitto, quam
 si publicæ utilitatis aut alia gravis causa Principem abso-
 luta potestate sua honestè uti finit, haud leviter persua-
 sus, extra hoc Principi non esse integrum, aliquem suo
 jure privare, nov. 10. verb. non ut quæ auferamus illis
 concessa &c. nec fidei ejus constantiam, quam in lucro-
 sis non minus quam onerosis negotiis esse oportet exu-
 berantem, ut aliter fiat, permittere; quo confe-
 runt, quæ gravi sermone conglomerat Gail. 2.

Obs. ss. n. 5. & seq. Tantum impræsens

IN SOLIUS DEI GLORIAM!

MANTISSÆ LOCO.

I. **V**Itæ & corporis defensio cum
 interneccione aggressoris non
 juris naturæ præceptivi est, sed
 dun-

duntaxat ab eo permiffa.

2. Ad honores & officia in Rep. benemeritis ingenio & eruditione pollentibus præ aliis concedenda, Princeps non folum ipfius promovendi, fed & Reip. caufa per iuftitiã distributricem obligatur.
3. In transactione refciffio ex caufa læfionis ultra dimidium juxta leg. 2 C. de refcind. vendit. non habet locum.
4. Dominus Feudi cum Vafallum dat tutorem, præfertim nulla alia bona quàm feudalia aut tamen aliis jam oppignorata habentem, in feudi hypothecam tacitè confentire cenfetur.
5. Non Tabellarii folum, qui acta ad univerfitatem deferunt, fed etiam bibliopolæ advenæ, nuncii & comites Studioforum, ipfique eorum

- rum parentes & cognati, quum
visendorum liberorum causa in
loco studiorum morantur, Aca-
demiæ jurisdictioni subsunt. auth.
habita C. Ne filius pro patre. verb.
tam ipsi quam eorum nuncii &c.
6. Error extinctæ apud sponsam vir-
ginitatis justam rescindendi ma-
trimonii causam præbet. In spon-
so hoc vitium non attenditur,
attamen in compensationem à
sponsa deduci posse, ut tunc sepa-
rationi locus non sit, opinamur.
7. Clerici & ecclesiæ ministri inju-
stè matrimonio prohibentur.
8. Principes Imperii ditiones & ter-
ritoria sua absque requisito sub-
ditorum consensu oppignorare
possunt.

F I N I S.

Duisburg, Diss., 1661-33

(1)

ULB Halle

3

004 527 046



Sb

107



SIMO NUMINE!

~~#~~
23 T38

IOR IN
RINCIPE 1695

CESSO,

D I O

consultissimi,

CRUSII,
etorali Bran-
Teutoburgi
verfitate
rim.

ioni subicit

SCHLIEBEN,

*jore, ad diem
tina.*

ENUM,

emiae Typographi,
V.

